

# SPRAWOZDANIE DYREKTORA

<sup>b</sup>  
C. K.

# GIMNAZYUM ŚW. JACKA

W KRAKOWIE

za rok szkolny 1904.



Biblioteka Jagiellońska



1003046656

W KRAKOWIE.  
NAKŁADEM FUNDUSZU NAUKOWEGO

W DRUKARNI W. L. ANCZYCA I SPÓŁKI.  
1904.

*Spis 923*



TREŚĆ:

1. Swiba Bronisław: De Heauton Timorumenō Terentiana.
2. Część urzędowa, przez c. k. Dyrektora.

400128

1904

Stary rękopis  
Ingr. sekcyjne

## De Heauton Timorumeno Terentiana.

Quaenam ratio Terentio cum comicis graecis, quorum fabulas imitari voluerat, intercederet, multi viri docti perspicere conati sunt. Cum autem nihil difficilium esse videatur, quam e paucis fragmentis conicere, quomodo Terentius fontes graecos secutus sit, summa cautio iis, qui huic quaestioni operam dant, est adhibenda. Quae res mihi quidem, cum de fontibus, quos Terentius in Adelphorum<sup>1)</sup> fabula componenda ante oculos habuisse videtur, disputarem, magno usui erat ad sententias graecas in fabula latina investigandas. Nunc occasione oblata de Heauton timorumeno Terentiana fabula eodem modo disputare in animo est.

### I.

Atque omnium primum monedum est in hac fabula deesse Donati notas variasque lectiones. Quae vero perierint an plane nullae eius fuerint, non constat. Eugraphi autem commentarium, qui servatus est e decimo saeculo, non magni pretii esse et alii ut Umpfenbachius<sup>2)</sup> rectissime observarunt et recentissimo tempore Flaminius Nencini<sup>3)</sup> iudicio suo id comprobavit. Quae cum ita sint, ad prologum verbosum ac copiosum, quem poëta fabulae praemisit, mihi accedendum est.

1) De Adelphis Terentianis in program. gymn. Jaroslaviae ed. a. 1897.

2) in edit. Ter. p. XLIII.

3) De Terentio eiusque fontibus Torini 1891.



Iam inde ab initio profitetur poëta se partes, quae sint adulescentium h. e. munus aut officium prologi recitandi seni dedisse. Si autem haec verba cum Adelphorum prologi v. 22 sq. contulerimus:

Dehinc ne exspectetis argumentum fabulae:  
Senes, qui primi venient, ei partem aperient,

facile inveniemus rectissimam fuisse Bentleyi <sup>1)</sup> opinionem prologos ab aliis quibusdam pronuntiari solitos esse, non ab actoribus, Terentiumque contra morem prologi partes Ambivio, ipsi domino totius gregis eidemque iam seni dedisse. Sensit nimirum poëta senis personam multo aptiorem fore ad prologum recitandum quam adulescentium. Quod quantum valeat in fabulis agendis praeclare Horatius <sup>2)</sup> depingit, cum monet illum, qui dedicerit, quid debeat patriae et quid amicis, quo sit amore parens, quo frater amandus et hospes... quae partes in bellum missi ducis, illum profecto scire »reddere personae convenientia cuique«.

Omissis deinde difficultatibus, quae haerent in proximis prologi versibus: »id primum dicam, deinde quod veni eloquar«, quos alii <sup>3)</sup> alio modo interpretari studuerunt inversum ordinem »id dicam deinde, primum quod veni eloquar« probantes, insequentes versus afferre libet. Qui sunt:

Ex integra Graeca integram comoediam  
Hodie sum acturus Heauton timorumenon <sup>4)</sup>.

Verba haec vario modo a viris doctis sunt tractata. Alii, ut Carolus Dziatzko <sup>5)</sup> annotavit haec: »ex graeca fabula, cuius nemo quidquam praeripuit, latinam, cui non oportuit quidquam addi. vox »integer in eodem versu bis usurpata eadem, ut ita dicam, principali significatione esse debet«. Qualis autem sit fa-

<sup>1)</sup> in edit. quam curavit E. Vollbehr. Kiel 1846.

<sup>2)</sup> Artis poëticae v. 313 sqq.

<sup>3)</sup> Crf. sis, quae nuperrime disputavit Fritzius Schöll: Zwei alte Terenzprobleme in Rhen. Mus. 57 t. 1902. p. 48 sqq., qui sententiis ceterorum reprobatis hanc veram interpretationem statuit: quod veni bezieht sich nur auf die allgemeine Aufgabe des Prologs, d. h. die Einführung des aufzuführenden Stücks, nicht auf einen gar nicht abgegrenzten Teil der speziellen Aufgabe des Ambivius als orator«.

<sup>4)</sup> Heaut. prolog. v. 4. sqq.

<sup>5)</sup> De prologis Plautinis Terentianisque p. 8.

bula graeca, cuius nemo quicquam praeripuerit, constat inter omnes; sed latinam fabulam, cui non oportuerit quicquam addi, haud facile invenies. Cum igitur in ipsa interpretatione, tum in explicanda vocis »integer« significatione erravit vir doctus, quippe qui principalem vocis significationem laudari vellet et longe aliter eam vocem in prologi versibus interpretaretur. Vox »integer«, ut opinor, nihil aliud significat, nisi a nullo tactus seu intactus, eoque sensu usurpatur a Terentio in Adelphorum prol. v. 10: eum Plautus locum reliquit integrum; in Hecyrae v. 145:

Diebus sane pauculis

Post Pamphilus me solum seducit foras

Narratque, ut virgo ab se integra etiam tum siet;

in Horati Sermonum lib. II. l. 85:

Si quis obprobriis dignum lataverit, integer ipse?

Saepenumero igitur vox «integer» e verborum contextu variam significationem accipere videtur, nam in illo Hecyrae versu integra usurpatur pro inviolata seu non vitiata; in Horati Sermonibus integer ipse est vir non laccessitus. Parmeno Syrae anui in Hecyrae v. 76 mandat, ut seni nuntiet se ad portum ivisse percontatum adventum Pamphili et »si quaeret me, uti tum dicas: si non quaeret, nullus dixeris, Alias, ut uti possim causa non integra. Si igitur de causis dicendis sermo est, causa non integra est causa non dicta<sup>1)</sup>. Quae cum ita sint, integra graeca fabula nulla alia est nisi ea, quae nondum latina ab aliis facta est, a nullo interprete latine versa. Quae autem sit integra latina, non liquet. Interpretationem vero, quam Dziatzko secutus sit, cum diceret latinam integram esse fabulam, »cui non oportuerit quicquam addi«, iure improbari posse, nemo est quin videat. Integra latina potius est ea fabula, quae nondum acta est sed nova. Dicit igitur poëta se ex graeca fabula, quae nondum latina ab aliis facta sit, novam comoediam hodie esse acturum, quo magis audiendi ac cognoscendi studio auditores ardeant. Una tantum modo inest huic interpretationi difficultas, cur Te-

1) Ne farragine exemplorum lectorem obruam, decies a Terentio vocem »integer« usurpatam esse contendo. Ceterum cfr. quae attulit F. Skutsch in Philologi t. 59. ex a. 1900 p. 8 sqq.



rentius »novam« non dixerit, sed »integram«. At animadvertendum est voces »integer et novus« etiam promiscue usurpari praesertim cum simili vocabulo scriptores uti malint ex gr. Plautus in Casinae a. III. 5. 4: »novam atque integram comoediam<sup>1)</sup>.

Non minores difficultates praebet versus prologi 6:

»Duplex quae ex argumento facta est simplici«.

Lectione codicum incerta Bembinus a prima manu exhibet: »duplex quae ex argumento facta et duplici«. Quae lectio magno incommodo laborat arti metricae repugnans, praesertim cum Terentius nusquam primam syllabam vocabuli »duplex« produxerit. Fuerunt igitur, qui »simplex quae ex argumento facta est duplici« legi mallent, quam tamen emendandi rationem pari modo arti metricae non convenire facile intellegitur. Varios etiam interpretandi modos veteres secuti sunt, cum alii Heauton timorumenon duplicem esse comoediam probarent, cum duo adulescentes in comoedia introducti cum sua uterque amica, patre, servo, duplex argumentum fieri vellent atque ita duplicem comoediam, ut sunt omnes Terenti fabulae excepta Hecyra; alii vero cum simplex fabula ex argumento facta est duplici« praeferrent, de una fabula, sed argumento duplici cogitaverunt. Senes duos, adulescentes duos, amicas duas, varios prorsus affectus, varios in fabula enarranda eventus viderunt, qui tamen arte poëtae sic copulantur et contexuntur, ut in unam et simplicem fabulam coalescant<sup>2)</sup>. Quae autem lectio genuina sit, difficile est diiudicatu. Iam Dziatzko l. l. rectissime monuit sententias, quas attuli, grammaticorum doctrinam sapere neutramque veram esse. Quare illum versum turpiter corruptum suspicatus est Ihnius, quem secutus est Fleckeisenus uncis eum includens.

---

<sup>1)</sup> Fridericus Leo, vir optime de studiis Plautinis meritis, vocem »integer« cum graeco vocabulo *διολογερής* contulit; at non dubium est, quin l. l. vox illa longe alia vi usurpata sit.

<sup>2)</sup> Quam sententiam haud absurdam iam Fr. Leo: *Plautinische Forschungen zur Kritik u. Geschichte der Komödie*. Berol, 1895 ed. his verbis adumbravit: »Das Stück enthält zwei Liebespaare, also eine doppelte Verwicklung, aber diese Doppelheit sei schon im attischen Original zu einer einheitlichen Handlung zusammengefasst worden. Non praetulit hanc interpretandi rationem Fr. Skutsch l. l. p. 9.

Cum autem dubitari nequeat, quin in hoc versu explicando magnae haereant difficultates, incertumque sit eum qualibet coniectura sanari posse, ad ipsum fabulae argumentum nobis accedendum est, si quid veri ex ipsa fabula consequi possimus. Iam in principio fabulae videmus duos senes Chremetem et Menedemum, qui coniuncti amicitia et vicinitate, duos filios habebant alter Clitiphontem, alter Cliniam. Menedemus compulsi filium in Asiam in militiam proficisci, cum Antiphilam amaret perditae et prope iam pro uxore haberet. Quae cum cognovisset Chremes, Menedemo magna animi aegritudine confecto recta dat consilia, ipse autem, quae fecerit filius, ignorat. Quare Clitipho »iniquos patres appellat in omnes adulescentes iudices, qui aequum esse censent iuvenes a pueris ilico nasci senes neque illarum affines esse rerum, quas fert adulescentia. Ex sua libidine ei moderantur, nunc quae est, non quae olim fuit«. Et iuvenis, quem pater monet: »periculum ex aliis facito, tibi quid ex usu siet«, ipse conclamat sibi esse amicam impotentem, procatem, magnificam, sumptuosam, nobilem, patremque nihil suspicari.

Chremes cum ignoraret, in quas insidias ipse incidisset, monuit Menedemum (v. 119), ne nimis se severum patrem praestaret et dum vehementiam in filium Menedemo exprobrat, vehementissimum se ipse patrem praebet. Vehementem eum appellat in utramque partem aut nimia largitate aut parsimonia. Olim non passus est Menedemus filium commeari ad mulierculam, quae tum erat paululo contenta, cuique erant grata omnia; nunc autem cum sine magno detrimento nequit haberi, cum ancillas secum adduxit plus decem oneratas veste et auro adeo ut »satrapa si siet amator, numquam sufferre eius sumptus queat« <sup>1)</sup> omnia Menedemus dare flagrantissime cupit. Quae Chremetis verba facile declarant animum patris severum, vehementem. Cum autem Chremes cognovisset Bacchidem Clitiphontis amicam esse, occidisse se arbitratur, unde irati patris animum nulla ratione placari posse recte conspicitur.

In fine autem fabulae videmus Chrementem exsultantem, qui filium ab amore meretricio liberatum ad uxorem ducendam coëgit. Quod matrimonium minime necessarium fuit, nam Sostrata

---

<sup>1)</sup> Heaut. v. 452.



filio illam lepidam Phanocratae filiam daturam se esse pollicetur et cum iuvenis illam rufam, caesiam, sparso ore, adunco naso<sup>1)</sup> esse dixisset eamque taedio repudiasset, Archonidi filiam in matrimonium ducere statuit.

At monuerunt iam viri docti Terentium comicos amores saepissime nuptiis concludere solitum esse. Qua mentione de matrimonio facta commoti viri docti duas fuisse olim fabulas suspicati sunt posteaque in unam conflatas, quarum unam a Menandro Terentium in usum suum vertisse, alteram a poeta fictam esse veri simile est. Quapropter Terentianam illam fabulam Carolus Venediger<sup>2)</sup> restituere conatur hac ratione, ut in ea fabula adulescens Clitipho pecuniae inopia coactus puellam in matrimonium ducere nequeat servique opera adiuvetur, qui virgine domum cuiusdam patris abducta patri persuadet puellam filii meretricem esse. Pater ille etiam ad pecuniam praebendam coactus est, sed errore cognito filium hereditate excludendum statuit iramque suam tum demum lenivit, cum filius sobrium ac temperantem se fore spondisset. Et deinde appulit eius animum ad uxorem ducendam. Hoc modo duplex fabula a viro docto inventa est et duplex argumentum.

At fuerunt, qui illam alteram partem de matrimonio Clitiphontis cum Archonidi filia petito tractantem non a Terentio inventam esse censerent, sed eam in Menandrea fabula narratam suspicarentur, postea autem a Terentio explicatam et actione variatam<sup>3)</sup>. Et re vera insunt in ipsa fabula quaedam difficultates, quae cuique scrupulum quendam iniciani necesse est. In scaena enim prima actus primi Chremes cum Menedemo diu colloquitur et consolatur vicinum filium eius brevi rediturum esse ratus salvum. Neque enim Menedemus recte filium novisse videtur, neque filius patrem. Quod si factum esset, numquam evenissent haec, neque filius in Asiam profectus esset. Dein Chremes comiter invitatur Menedemum ad cenam, nam hodie sunt Dionysia. Quam invitationem lente abnuat Menedemus saluteque data et reddita abiit. Tum Chremes:

---

<sup>1)</sup> Heaut. v. 1064.

<sup>2)</sup> in Annal. phil. CIX. p. 129 sqq.

<sup>3)</sup> Quam sententiam defendit Nencini, p. 69.



»Lacrimas excussit mihi:

Miseretque me eius; sed ut diei tempus est,  
Tempust monere me hunc vicinum Phanium,  
Ad cenam ut veniat: ibo visam si domist<sup>1)</sup>.

Qua ratione motus poëta mentionem illam de vicino Phania Chremetis verbis intexuerit, parum liquet. Nimirum monere vult Chremes Phanium, ut ad cenam veniat; igitur amovendus erat in exitu scaenae, sed crepuisse fores audit, studio cognoscendi fertur et paululum concedit. Neque usquam tamen de Phania mentio fit in reliqua fabula exponenda.

Alterum luculentum sane mutationis indicium reperitur cum Chremes monet Menedemum, ut per alium quemvis filio det pecuniam illudque nunc agatur, quomodo minimo periculo pecunia adulescentulo praeberi queat. Nam si filius patris lenitatem cognoverit, non dubium est, quin pater prius vitam omnemque pecuniam amissurus sit, quam filium. Fenestram Menedemus ad nequitiam patefacere conatur. Nam omnes deteriores esse licentia nemo negabit. Si deinceps pecuniam denegaverit, abiturum se a patre filius minabitur. Et cum Menedemus summo studio iam filium amplexari cupit, Chremes:

»Operam dabo,

Paulum negoti mi obstat: Simus et Crito  
Vicini nostri hic ambigunt de finibus:  
Me cepere arbitrum: ibo dicam, ut dixeram  
Operam daturum me, hodie non posse eis dare.  
Continuo hic adsum<sup>2)</sup>.

Postea autem manet Chremes in scaena neque usquam in fabula enarranda res de Simo et Critone agitur. Ladevicus<sup>3)</sup> decessisse apud Menandrum a scaena Chremetem suspicatur, ut Menedemus secum diutius loqueretur, et Syri monologum in exitu scaenae alterius actus II. longiorem apud Menandrum fuisse contendit. Quae sententia ab aliis<sup>4)</sup> recte improbatur, nam astutos servos apud Terentium extemplo consilia capere vulgo constat.

1) Heaut. v. 167.

2) Heaut. v. 497.

3) Beiträge zur Kritik des Ter. p. 5.

4) Nencini l. l.

Chremes cum filium Clitiphontem admonuisset eumque immodestum fuisse heri dixisset<sup>1)</sup>, eum aliquo ab ore amantium concedere iubet probante Syro. Abiit Clitipho deambulatum invitus quidem, sed necessitate coactus. Tum Syrus sua consilia Chrementi aperit, quas invenerit fallacias ostendit et cum Chremes sciscitatur:

Quid nunc facere cogitas?

Syrus: »Egone? ad Menedemum ibo: dicam hanc esse captam ex Caria Ditem et nobilem: si redimat, magnum inesse in ea lucrum.

Tum Chremes: »Erras, pro Menedemo nunc tibi ego respondeo.

»Nonnemo« quid agis? Syrus: Optata loquere. Ch. Atqui non est opus.

Syrus: Non opust? Ch. non herde vero. Syr. qui istuc, miror. Ch. Iam scies».

Et denuo crepuerunt fores, conspicitur Sostrata, Chremetis uxor, cum anulo, quocum filia exposita erat.

Benfeius<sup>2)</sup> iam verbis allatis inesse quandam offensionem arbitratus est. Menedemus enim omnia facere vult, dummodo filium domi suae habeat. »Faciatur quidlibet, sumat, consumat, perdat, decretumst pati, Dum illum modo habeam mecum«<sup>3)</sup>. Unde Chremetem non ignarum fuisse Menedemi consiliorum luculenter apparet. Cur igitur l. l. pro Menedemo respondeat eum ditem et nobilem virginem empturum non esse parum liquet. Optimam maximeque probabilem interpretandi rationem Ladevicus olim iniisse videtur, cum coniceret l. l. aliquid a Terentio relictum esse e fabula Menandrea. Videmus enim Chremetem, qui antea nimis severus fuerit in tollenda puella, nunc Sostratae facilem atque oboedientem se praebere adeo, ut uxor facilitatem eam admiretur. Enarrat enim Sostrata coram Chremete se gravidam fuisse Chremetemque maximo opere edixisse, si puella nasceretur, nolle se tollere. Sostrata sustulit puellam et anui Corinthiae haud impurae dedit exponendam. Et ut stultae et miserae omnes feminae sunt religiosae, de digito anulum detrahit deditque anui Corinthiae, ne filia, si moreretur, expers partis esset de bonis. Nunc Bacchis adulescentulam adduxit anulum-

---

<sup>1)</sup> Heaut. 568.

<sup>2)</sup> In transl. german. p. 364.

<sup>3)</sup> Heaut. v. 464. sqq.

que cognovit Sostrata. Posteaquam Chremes nomen mulieris Phil-  
teram esse comperit, rogat, ut se sequatur intro hac et tum  
Sostrata:

»Ut praeter spem evenit quam timui male,  
Ne nunc animo ita esses duro, ut olim in tollendo Chremes<sup>1)</sup>

Coniectura Ladevici l. l. comprobatur praeterea insequen-  
tibus versibus<sup>2)</sup>, quos astutiae plenus servus Syrus pronuntiat.  
Copias suas in angustum cogi videt, nam non multum abest,  
quin senex nati amicam resciscat neque quicquam esse, quod  
nunc speret de argento vel postulare queat. Itaque triumphat,  
si licet se latere tecto abscedere. Et dein:

»Crucior bolum mihi tantum ereptum tam desubito e fau-  
cibus«.

Nunc vero accepta Ladevici coniectura facile intellegitur,  
cur Syrus bolum sibi e faucibus subito ereptum lamentetur te-  
ctoque latere abscedere malit. Nam puella agnita facile a Chre-  
mete pecunia negari poterat. Consilia Syri eversa sunt omnia,  
nunc de novo incipiendum erat, ut illud fugitivum argentum re-  
traheretur. Et re vera Syrus temperare sibi non potuit, quomi-  
nus Chremetem ad pecuniam solvendam cogeret et cum Cliniam  
obsecravisset, ne abiret neve Bacchidem hic relinqueret, nam  
non potuit fieri, quin Chremes eam amicam Clitiphontis esse re-  
scisceret, cumque postea Bacchidem, ut transiret ad Menedemum  
suamque pompam eo traduceret, impulisset, novum argentum  
cudit eoque rem perduxit, ut Chremes pecuniam Bacchidi debi-  
tam reddendam esse censeret<sup>3)</sup>. Paratus est igitur Chremes pe-  
cuniam ad Bacchidem deferre, sed ab astuto servo admonetur,  
ut potius filio det pecuniam, in quem amoris suspicio translata  
sit. Et Chremes ecfert argentum et cum Clitiphontem capere ac  
deferre argentum iubet, Clitipho gravatur, tum Syrus lapidem  
eum appellat, qui stat neque quicquam accipere vult<sup>4)</sup>.

Nencini l. l. cum consilium requireret, quod ad resecan-  
dum l. l. graecum exemplar impulisset Terentium, Chremetem

1) Heaut. v. 664. sq.

2) ibidem v. 668. sq.

3) Heaut. v. 797. »Haud faciam« adnuentis esse verba Chremetis, non  
recusantis probaverunt viri docti.

4) Heaut. v. 831.



apud Menandrum domum intrasse arbitratus est, ut argentum redemptionis efferret ibique de filia sua omnia rescisse; totam autem insequentem scaenam non actam sed narratam apud Menandrum fuisse. Quae coniectura viri docti dubia mihi quidem esse videtur. Chremes enim cum Syro dixisset verba »efero« (v. 804), re vera abiit domum, ut argentum efferret; sequitur colloquium Syri cum Clitiphonte <sup>1)</sup>, dumque Clitipho longa ac laboriosa deambulatione fessus revertitur metuens, ne denuo miser extrudatur, ira incensus dicit Syro:

»Ut te quidem di deaeque omnes quantumst cum tuo, Syre, istoc invento cumque incepto perduint« <sup>2)</sup>.

Postea autem magna animi aegritudine confectus Bacchidem apud Cliniam esse comperit, mox a servo astutiae pleno afficitur gaudio et laetitia, qui a patre argentum iam efferri nuntiat. Et hoc temporis momento pater domo egreditur.

At altera viri docti coniectura, qua patrem, cum domi esset, omnia de filia rescisse suspicatur, nullius est momenti, cum Chremes iam pridem cum Sostrata, Nutrice, Syro diu collocutus, omnia de filia cognovisset et ingenium mutavisset, nam »non licet hominem esse saepe ita ut vult, si res non sinit« <sup>3)</sup>.

## II.

Re de difficultatibus, quae in contextu Terenti Heauton timorumeni occurrunt, peracta nunc ad fragmenta fabulae recensenda transeo. Ac primum de nomine fabulae mentionem facit Galenus, clarissimus secundi saeculi p. Chr. medicus, qui in libro, quo res de raris Hippocratis vocabulis tractatur, scripsit haec: διαφέρει δὲ τὸ τιμωρῶν τοῦ τιμωρούμενος, ὃ μετὰ τῆς καλουμένης αἰτιατικῆς σημαίνει τὸ κολάζων (legendum κολάζων). Οὕτως γοῦν καὶ ἑαυτοῦ τιμωρούμενος ἐπιγράφεται τὸ Μενάνδρου δράμα <sup>4)</sup>. Ex ipso nimirum prologo Terentiano facile intellegi potest fuisse graecam fabulam Ἐαυτὸν τιμωρούμενον:

<sup>1)</sup> Heaut. v. 804—831.

<sup>2)</sup> Heaut. v. 810 sq.

<sup>3)</sup> Heaut. v. 666.

<sup>4)</sup> Meineke Aug. Fragmenta poetarum comoediae novae Berolini 1841. p. 110 sqq. et Theod. Kock: Comiorum Atticorum fragmenta vol. III. Lipsiae 1888 p. 41.

»Ne quoi sit vostrum mirum, quor partis seni  
Poeta dederit, quae sunt adolescentium:  
Id primum dicam, deinde quod veni eloquar.  
Ex integra graeca integram comoediam  
Hodie sum acturus Heauton timorumenon<sup>1)</sup>.

Haud dubium igitur est, quin Terentius graecam illam Menandri fabulam ante oculos habuerit eamque latino sermone expresserit.

Mihi quidem perlustranti, quae viri docti de hac fabula adhuc scripserunt, nonnulli plurimum operae in hac fabula recensenda consumpsisse videntur. At Nencini, cum de ea ageret<sup>2)</sup> Chremetem primarias in hac fabula partes habuisse arbitratur, sed Menedemum fabulae nomen indidisse. Quae sententia viri docti mihi quidem non placet. Quicumque enim hanc fabulam quamvis neglegenter perlegerit, facile intellet Menedemum non esse se ipsum cruciantem sed Chremetem. In primo quidem actu videmus Menedemum plus nimio sese cruciantem, strenuum ac laboriosum senem, qui sexaginta annos natus servorum officiiis fungitur. Numquam tam mane domo egreditur Chremes, numquam tam vesperi revertitur, quin senem in fundo conspicitur fodere aut arare aut aliquid ferre. At ea res nullius est momenti ad titulum fabulae declarandum. Potius Chremes dum Menedemo recta dat consilia, sibi ipse consulere nescit et dum loquitur Menedemum in filium leni ingenio esse, filium autem obsequentem si quis recte aut commode eum tractet neque Menedemum satis filium novisse neque illum patrem — et deinde:

»Tu illum numquam ostendisti, quanti penderes,  
Nec tibi illest credere ausus quae est aequom patri.  
Quod si esset factum, haec numquam evenissent tibi<sup>3)</sup>.

ignorat haec verba sibi ipsi optime convenire, quippe qui habeat filium Clitiphontem, qui quidem non fugit in Asiam militatum sed habet domi meretricem inscio patre struitque una cum servo fallacias patri.

Deinde cum Clitipho omnes patres iniquos in omnes adolescentes iudices appellat<sup>4)</sup>, qui aequum esse censeant adolescen-

1) Heaut. prolog. v. 1 sqq.

2) Nencini p. 68.

3) Heaut. v. 155 sq.

4) ibidem v. 213.

tes a pueris ilico nasci senes cumque amicam sibi esse impotentem, procacem, magnificam, sumptuosam, nobilem gloriatur, aperte omnia sua facinora confitetur, unde manifesto apparet Chremetem caecum prorsus fuisse neque quicquam de iis sensisse.

Sequitur scaena prima actus tertii, in qua<sup>1)</sup> Chremes vehementem in utramque partem Menedemum appellat aut largitate nimia aut parsimonia. Nam olim non passus est Menedemus filium commetare ad mulierculam, quae tum erat contenta paululo cuique erant grata omnia; nunc cum sine magno pretio et detrimento haberi nequit, cum instructa ad perniciem secum plus decem ancillas adduxit oneratas veste auroque, misericordem se Chremes Menedemo praestare cupit, sibi ipsi tamen misericordia opus esse ignorat. Quid? Cum Menedemum filio pecuniam dare per alium quemvis iubet et servulum adhiberi, nonne videmus poetam mirum in modum seni illuisse? Iam inde facile intelligitur proverbium a Menedemo pronuntiatum: »ita comparatam esse hominum naturam omnium, aliena ut melius videant et diiudicent, quam sua« optime in Chremetem convenire.

At probabile sane argumentum, quod sententiae a Fl. Nencini probatae, repugnare videtur, est colloquium Chremetis Syro in altera actus tertii scaena datum. Chremes adhortatur Syrum, ut Menedemum fallat eique pecuniam quovis modo eripiat servumque (Dromonem) adulescentis pistrino dignum esse arbitrat, qui passus sit filium inopia profugisse in Asiam. Quibus rebus auditis Syrus obstupefactus rogavit dominum, quid faciendum esset servo illi? Tum Chremes:

»Rogas?

Aliquid reperiret, fingeret fallacias,

Unde esset adulescenti, amicae quod daret,

Atque hunc difficilem invitum servaret senem«<sup>2)</sup>

Cui sententiae astutus servus vix credere vult et iocose an serio Chremes verba haec prompserit ignorat. At ea res, utcumque se habet, addit servo stimulos ad novas fallacias seni struendas. Chremes igitur l. l. collum inserit in laqueum eumque sibi incit, quippe qui servo iam callido licentiam auferendi omnia praebeat.

1) Heaut. v. 440 sqq.

2) Heaut. v. 533 sqq.



Postremo Chremes poenas solvit suae stultitiae: minas quidem decem dedit filiae, quas pro alimentis esse nunc ducit datas: hasce ornamentis consequentur alterae: porro haec talenta dotis adposcunt duo.

»Quam multa, iusta iniusta, fiunt moribus!«<sup>1)</sup>

Quapropter Menedemus Chremetis socordiam irridere studet, cum se non tam astutum neque ita perspicacem esse arbitratur, sed ille adiutor Chremes et monitor et praemonstrator hoc sibi praestat: in se ipsum quidvis horum convenit, quae sunt dicta in stulto, caudex, stipes, asinus, plumbeus, in illum, nihil potest convenire: exsuperat eius stultitia haec omnia<sup>2)</sup>. Ac sane simplex et vecors animus illius monitoris esse videtur, qui servum suum ad pecuniam sibi auferendam impulit, sibi ipsi non pepercit aciemque gladii in se conversum esse sero animadvertit. Prae iracundia, quid sibi sit faciendum, ignorat. Tum Menedemus:

•Id, quod me fecisse aiebas parum,  
Fac te patrem esse sentiat: fac, ut audeat  
Tibi credere omnia, abs te petere et poscere:  
Nequam aliam quaerat copiam ac te deserat«<sup>3)</sup>.

Et ira accensus Chremes:

•Immo abeat potius malo quovis gentium,  
Quam hic per flagitium<sup>4)</sup> ad inopiam redigat patrem«

Haud dubium igitur est, quin, si omnia filio suppeditasset, res Chremetis tum vero ad rastros reditura fuerit. Nunc autem nemo, ut opinor, dubitabit, quin Chremes ipse sit punitus neque quicquam obstat, quominus Chremetem se ipsum cruciantem putemus.

Iam ad fragmenta recensenda transeo. Fragmentum quod Kockius<sup>5)</sup> attulit:

Πρὸς τῆς Ἀθηνᾶς, δαίμονας, γεγονῶς ἔτη  
τοσαῦθ'; ὁμοῦ γὰρ ἔστιν ἐξήκοντα σοί

1) Heaut. v. 839.

2) Heaut. v. 879.

3) Heaut. v. 924. sqq.

4) De significatione ac vi vocabuli »flagitium« cfr. quae disputavit nuper Usener: Italische Volksjustitz in Mus. Rhen. t. 56. (1901) p. 6. sqq.

5) l. l. 140.

referendum esse censent viri docti ad Heaut. v. 62, ubi Chremes cum virtute tum vicinitate commotus amicum se Menedemo praeberet ita, ut eum audacter ac familiariter moneat, ne nimio plus laboret praeter aetatem suam et praeter quam res sua eum adhortatur. Et postea:

»Nam pro deum atque hominum fidem, quid vis tibi?  
Quid quaeris? annos sexaginta natus es,  
Aut plus eo, ut conicio«:

Fragmentum igitur illud nobis servatum a verbis Chremetis non absonum esse nemo est, quin videat. At primum illius fragmenti verbum *δαμονᾶς* a viris doctis in *δαμόνις* emendatur <sup>1)</sup>, quam lectionem praesertim Cobet <sup>2)</sup> probare conatus est, verbum *δαμονᾶν* nimis contumeliosum esse ratus. Sed recte iam observavit Kockius <sup>3)</sup> lectionem *δαμόνις* versui nostro non convenire, nisi forte pro *γεγονώς* scribitur *γέγονας*.

Ad quae fabulae verba pertineat alterum fragmentum *λουτρόν, δεραπαίνας, ἀργυρώματα* <sup>4)</sup> iam facile intellegitur ex Heaut. v, 130. Ibi enim Menedemus, cum filium ad regem in Asiam militatum abiisse cognovisset, domum suam maestus revertitur animo perturbato atque incerto prae agritudine. Adsegit domi, accurrunt servi, soccos detrahunt: inde alii festinant, lectos sternunt, cenam adparant: pro se quisque sedulo faciebat, quo illam hero lenirent miseriam. Et Menedemus:

»Ubi video haec coepi cogitare hem, tot mea  
Solius solliciti sint causa, ut me unum expleant?  
Ancillae tot me vestiant? sumptus domi  
Tantos ego solus faciam«?

Sequitur fragmentum, in quo multa sunt, quae criticorum curam et acumen exspectant:

ἐξ Ἰσταρίου δ' ἐκρέματο φιλοπόνως πάνυ,  
..... καὶ δεραπαινὶς ἦν μία.  
αὕτη συνύφαινεν ῥυπαρῶς διακεκμημένη.

Libri exhibent lectionem ἐξ Ἰσταρίου γὰρ; γὰρ in δ' correxit

<sup>1)</sup> *δαίμων* δύο exhibent libri.

<sup>2)</sup> Var. lectiones V. 1<sup>a</sup> 200.

<sup>3)</sup> l. l. p. 42.

<sup>4)</sup> Kockius l. l. 141 et Meineke p. 111.

iam Au. Meineke, quem secutus est Kockius<sup>1)</sup>, at Nencini legit γάρ. In fragmenti versu tertio libri συνύφαινε, Meineke, Kockius, Nencini legunt recte συνύφαινεν. Syrus Cliniae enarrat ad aedes Antiphilae se venisse, Dromonem autem fores pulsavisse. Postquam fores patuerunt, servi Antiphilam telam textentem studiose offenderunt, mediocriter vestitam lugubri veste sine auro, capillus passus proluxe et circa caput reiectus neglegenter. Anus subtemen nebat: praeterea una ancillula erat; ea texebat una, pannis obsita, neglecta, immunda illuvie<sup>2)</sup>. Quae verba a fragmenti verbis allatis non abhorreere facile conspicitur. Cum autem poëta mulierum mores illustrat, luxuriosas eas appellat ex. gr. Clitipho Cliniae feminas iamiam affore nuntians addit: nosti mores mulierum: Dum moliuntur, dum conantur, annus est<sup>3)</sup>. Nostro autem loco illam simplicem ac tetricam vitae consuetudinem exprimere verbis studet, cui graecum illud ῥυπαρῶς διακειμένη artissime respondet.

Fragmentum ἀνδρὸς χαρακτηρ ἐκ λόγου γνωρίζεται negavit iam lhne<sup>4)</sup> ex Heaut. timorūmeno desumptum esse, probat Fl. Nencini<sup>5)</sup>. At rettulerunt illud Meineke<sup>6)</sup> et Kockius<sup>7)</sup> ad Heaut. v. 384, ubi Bacchis summis laudibus Antiphilae mores celebrat eamque fortunatam appellat, quod semper studuerit, ut mores formae consimiles essent minimeque miratur, si eam sibi quisque expetit et »Nam mihi, quale ingenium haberes, fuit indicio oratio<sup>8)</sup>.

Huic igitur versui haud dissimile esse graecum illud fragmentum suspicabantur viri docti. Quae similitudo nullius est momenti, praesertim cum in graeco fragmento de moribus viri agatur, verbis autem Terentianis puellae ingenium exprimat. Ceterum monendum est Menandrum ipsum falso auctorem creditum fuisse versuum multorum. Iam probaverunt viri docti<sup>9)</sup> saepissime factum esse, ut versus multa Menandro antiquiores

<sup>1)</sup> l. l. p. 142.

<sup>2)</sup> Heaut. v. 290 sqq.

<sup>3)</sup> Heaut. v. 240.

<sup>4)</sup> Quaest. Ter. 42.

<sup>5)</sup> l. l. p. 73.

<sup>6)</sup> l. l. p. 111.

<sup>7)</sup> l. l. p. 143.

<sup>8)</sup> Heaut. v. 384.

<sup>9)</sup> Cfr. sis quae attulit Cobet in Novis lectionibus p. 45. sqq.



e tragicis graecis sumpti cum Menandreis foedissime confunderentur. Sunt praecipue sententiae proverbiales vel argute dicta, quae satis commode et in tragoedia et in comoedia poni potuerint. Quo factum est, ut in fragmentis comicorum complura insint cothurno quam socco digniora.

Cum lacrimabundus Menedemus Chremeti dixisset satis superque se iam patrem durum fuisse, a Chremete castigatur verbis: »Vemens in utramque partem, Menedeme, es nimis aut largitate nimia aut parsimonia<sup>1)</sup>.

Ad quae verba annotavit scholiasta codicis Bembini graecum πᾶς πατήρ μωρός parique modo suspicati sunt viri docti fragmentum illud huc pertinere. Quam opinionem recte refellit iam Ihne l. l. graecum fragmentum alio referendum esse ratus.

Sequitur apud Au. Meinekium<sup>2)</sup> et Kockium<sup>3)</sup> fragmentum hoc:

Οἴκαι μένειν χρή καὶ μένειν ἐλεύθερον  
ἢ μηκέτ' εἶναι τὸν καλῶς εὐδαίμονα.

Quae verba a Stobaeo Flor. 31. 11. olim allata Chremetis esse Cliniae patriam relinquendi consilium vituperantis arbitratur Meinekius. Clitipho enim nuntiat patri Cliniam non esse in Asia sed domi. Adduxit enim e navi egredientem adolescentem, quocum sibi inde a pueritia fuit semper familiaritas, ad cenam. At adulescens timet omnia: patris iram, amicae animum sibi alienum. Miratur Chremes, cur timeat ille, qui omnia habet, quae quidem in homine dicuntur bona: parentes, patriam incolumem, amicos, genus, cognatos, ditias; qui uti scit, ei bona; illi, qui non utitur recte, mala. Et cum Clitipho Cliniae patrem importunum semper senem atque iniquum fuisse dicit, Chremes:

Utut erat, mansum tamen oportuit<sup>4)</sup>.

Cui versui illud graecum μένειν χρή optime convenire suspicari licet, quamquam Terentius Menandream sententiam non ad verbum expressisse videtur sed concinnatam extulisse<sup>5)</sup>.

Nondum persanatum est fragmentum: μετ' ἄριστον γὰρ ὧς

1) Heaut. v. 440.

2) l. l. p. 111.

3) l. l. p. 145.

4) Heaut. v. 200.

5) cfr. Nencini p. 73.

ἀμυγδαλάς (ἐγὼ) παρέθηκα, καὶ τῶν ροιδίων ἐντρώγομεν quod Meineke <sup>1)</sup> et Kockius <sup>2)</sup> attulerunt.

Athenaeus iam verbis Μένανδρος ἐν Ἐαυτὸν (αὐτὸν A.) τιμωροῦ μένω ροιδία ὠνόμασε διὰ τούτων κτλ. testatur fragmentum hoc e Menandri fabula sumptum esse. Ἐγὼ post ἀμυγδαλάς delevit Bentleyus, quod a nonnullis viris doctis probatur. Cobetus <sup>3)</sup> pro ἐντρώγομεν prae-tulit olim lectionem ἐνετράγομεν Atticos ἐντραγεῖν, numquam τρώγειν dixisse ratus. Quam opinionem rectissime refellit Th. Kockius l. l. cum τρώγειν non raro a scriptoribus usurpatur, quamquam comici nusquam usi sunt verbo ἐντρώγειν sed τρώγειν, nusquam τραγεῖν sed ἐντραγεῖν vel κατατραγεῖν <sup>4)</sup>. Referunt illud fragmentum viri docti ad cenam, quam Chremes dedit Bacchidi eiusque ancillis. Menedemus rogat Chremetem sitne Bacchis domi? Et ille:

»Sit rogas?

Sensi: nam unam ei cenam atque eius comitibus

Dedi: quod si iterum mihi sit danda, actum siet <sup>5)</sup>

Experiendo discit Chremes, quid sit sumptuosam sustentare mulierem, cum Bacchis posceret vinum modo asperum modo lenius cumque Chremes relevisset dolia omnia, omnis serias, omnes sollicitos habuit: atque haec una nox!

Cum autem in fragmento de amygdalis et de malis Punicis ροιδία post prandium sumptis legitur, mutationem quandam apud Terentium, ubi de cena mentio fit, iam facile suspicaberis. Qua re commotus Benfeius l. l. argumentatur huius mutationis causa Terentium coactum esse in binos dies negotium dispertire. At rectissime annotat iam Nencini <sup>6)</sup> non satis liquere, quo consilio a Terentio cena pro prandio posita sit; quapropter dubium esse videtur, an hinc temporis mutatio pendeat. Sententiam autem Ladevici, quam olim attulit Nencini, probandam omitto. Ut enim e fabulae argumento elucet rusticis Dyonisiis rem agi in He-

<sup>1)</sup> l. l. 112 et <sup>2)</sup> l. l. 146.

<sup>3)</sup> Cobet Novae lect. p. 73.

<sup>4)</sup> Apud clarissimum Atheniensium comicum Aristophanem inveni haec exempla: in Acharn. 801: τρώγοις ἂν ἐρεβλινθούς, ibidem v. 806: ἄρα τρώξομαι; et v. 809: ἀλλ' οὐτι πάσας κατέτραγον τὰς ἰσχάδας. Cfr. sis. Nubium v. 924 Vesparum v. 371 aliosque.

<sup>5)</sup> Heaut. v. 455. sq.

<sup>6)</sup> l. l. p. 74.



auton Timorumeno; non potuit igitur Chremes auxilium amicis ferre in iudicio; at Menedemo vicinos ambigere de finibus sequere arbitrum captum esse ab iis nuntiat. Privatam tamen litem putat Nencini actam et in privata lite die festo esse arbitrum potuisse quemquam docent varia exempla e comicorum scriptis sumpta. 1) Ceterum e v. 733 elucet et postero die Dionysia fuisse. Ibi enim Bacchis Phrygiam monet, ut curriculo percurrat ad villam, quam villam Charini homo demonstravit: apud eum miles Dionysia agitatur 2).

Huc accedit fragmentum incertum ἀλλ' ἦν χιτῶν σοι 3), quod ad quem Terentianae fabulae locum referendum sit incertum est. Pari modo fragmentum ταῦτά σοι καὶ Πύθια καὶ Δήλια, quod attulit Kockius 4) quo pertineat, non video.

At Flaminius Nencini 5) attulit tria fragmenta incertae originis, quorum unum

ὅταν φύσει τὸ κάλλος ἐπικοσμῆ τρόπος  
χρηστός, διπλασίως ὁ προσιῶν ἀλίσκεται

referendum esse censet ad Bacchidis verba Antiphilam landantis eamque fortunatam appellantis, cum studuerit, formae ut mores consimiles forent neque Bacchis miratur, si Antiphilam sibi quisque expetit:

»Minumeque, ita me di ament, miror si te sibi quisque expetit« 6).

Graeca verba a verbis Bacchidis non abhorrire nemo est quin videat. Alterum illud 7):

Ἀισχύνομαι τὸν πατέρα, Κλειτοφῶν, μόνον  
ἀντιβλέπειν ἐκεῖνον οὐ δυνήσομαι  
ἀδικῶν, τὰ δ' ἄλλα βραδίως χειρώσομαι

conferendum esse censet Nencini cum Heaut. v. 700, ubi Clinias Syrum, qui Bacchidem nunc non relinquendam domi sed abduendam esse arbitratur, istoc nihil esse adversum suis nuptiis monet. Et post:

»Nam quo ore appellabo patrem? tenes quid dicam« 8).

1) cfr. Mommseni Heortologie, Lipsiae 1864. p. 93. sqq.

2) Heaut. v. 733.

3) Meinecke p. 112 et Kockius 148.

4) p. 147.

5) p. 74.

6) Heaut. v. 383.

7) Kockius 586.

8) Heaut. v. 649.



Interest autem inter latinam et graecam, quod in graeca Clinias<sup>1)</sup> Clitiphontem allocutus esse videtur, non Syrum. Cum autem Syrus Chremetem monet<sup>2)</sup>, ut Clitiphontem abire deambulatum iubeat quovis, et Clitipho optat, ut Syrum di eradicent, abiit re vera Clitipho et revertitur demum v. 805, ubi deambulationem hanc se ad languorem dedisse narrat neque quicquam magis metuit, ne denuo miser aliquo extrudatur, ne accedat ad Bacchidem. Nencini l. l. putat igitur Clitiphontem ab illa deambulatione prius apud Menandrum quam apud Terentium rediisse remque paullo aliter apud Menandrum administratam esse. Mihi quidem non dubium esse videtur, quin Terentius et hoc loco et multis aliis nonnihil mutaverit. Scaena enim actus primi aeltera initium ducit a brevi colloquio Clitiphontis et Cliniae, ubi Clitipho Cliniam admonere studet, ne vereatur falsamque sollicitudinem mittat, quae eum excruciet. His dictis patrem conspicatur, quocum relicto Clinia colloquitur. Haud dubium igitur est, quin et l. l. aliquid a Terentio resectum sit ex Menandrea fabula et fragmentum ultimum huc pertineat. Nencini autem magna immutationis vestigia perspexisse sibi videtur, cum novum argumentum, quaecumque est, habere sibi vult, ut primariae fabulae pars (quae circa Menedemum filiumque ut par est potissimum versata) secundariae detrimento in brevius a Terentio contracta dicatur. Quod autem fragmentum iniuria ad Heaut. v. 452 vulgo relatum esse censet

Αὐτὰς δεραπεύειν καὶ σατράπας

mihi quidem erravisse videtur vir doctus, nam verba haec a Chremetis verbis luxuriam ac nequitiam Bacchidis castigantis non absona esse luculenter apparet.

### III.

Iam ex illis fragmentis, quae afferre et annotationibus illustrare studuimus, manifesto apparet, quam sollers et ingeniosus in extemplo attico transferendo poëta fuerit. Nunc quaestione de de Menandreis fragmentis expedita ad alteram huius dissertationiculae partem transire in animo est, qua eos Terenti Heauton timoru-

1) Cliniam Pamphilum in graeca nominatum fuisse probat Nencini p. 75.

2) ibidem v. 585.

meni locos tractabimus, quos originis graecae vestigia quaedam notasque affinitatis manifestas prae se ferre probabile est. Fieri enim non potest, quin in fabula, cuius origo sit certa, saepenumero cum sententiae tum verba a Graecis petita occurrant. Atque omnium primum de proverbialibus sententiis, quae in fabula exponenda leguntur, nonnihil disseram. Chremes igitur, ut amicitiam suam Menedemo ostendat, dicit:

»Quod ego in propinqua parte amicitiae puto«<sup>1)</sup>.

Quae verba cum illo Hesiodi<sup>2)</sup> versu haud difficulter componi queunt τὸν δὲ μάλιστα καλεῖν, ὅστις σέθεν ἐγγύθι ναίει h. c. eum vero potissimum vocato, quicumque te prope habitat. Res ad commodam viciniam pertinere videtur. Si autem Chremes agrum his regionibus meliorem neque pretii maioris inveniri<sup>3)</sup> negat, poetam Menandri illud ἀγρὸν εὐσεβέστερον γεωργεῖν οὐδένα οἴμαι in animo habuisse veri simile est.

